




XXXVII



NASCENTI DEIPARÆ
ÆTERNI SOLIS AVRORÆ
NOSTREQUE SALUTIS PRÆLUDIO

RATIONALEM PHILOSOPHIAM

NATURALIS SAPIENTIÆ EXORDIUM

Publicæ Concertationi propositurus

IN TEMPLO FLORENTINO SOC. JESU

SE SVASQVE THESES

D. D. D.

ALAMANNUS ARRIGHIUS.



FLORENTIÆ, MDCCVI.

Apud Michaelem Nestenus. *Superior. perm.*

CONCLUSIONES LOGICÆ.

EX PROEMIALIBVS.

I.



LOgica principaliter dividitur in naturalem, & artificialem. Logica naturalis est facultas benè apprehendendi, iudicandi, & discurrendi indita intellectui a natura. Logica artificialis est facultas benè apprehendendi, iudicandi, & discurrendi acquisita per artem ad hoc inventam. Nomine Logicæ artificialis intelliguntur etiam tum ipsa præcepta artis Logicæ, tum habitus intelligendi, & tradendi talia præcepta, tum usus præceptorum, & habitus utendi talibus præceptis. Habitus intelligendi, & tradendi prædicta præcepta dicitur Logica docens habitualis; habitus verò utendi talibus præceptis dicitur Logica utens habitualis, cuius actus est ipse usus præceptorum, non in sola materia logica, sed in quacumque materia.

II.

Habitus Logicæ utentis prout inclinat ad usum præceptorum Logicæ abstrahendo a materia actuum

A eli-

elicitorum non distinguitur probabilius ab ipso habitu Logicæ docentis, prout verò non abstrahit a materia actuum elicitorum distinguitur tantum inadæquatè ab habitu Logicæ docentis, & conflatur ex habitu Logicæ docentis, & habitu aliarum scientiarum. Habitus Logicæ docentis est Virtus non solum quatenus inclinat ad syllogismos demonstrativos, sed etiam quatenus inclinat ad syllogismos topicos, & sophysticos.

III.

Logica docens artificialis est habitus intellectualis practicus, & speculativus, non tamen eodem modo; Nam est practicus simpliciter, secundum quid speculativus. Nomine habitus intellectualis simpliciter practici intelligimus habitum, cuius, vel omnes actus sunt cognitiones practicæ, vel cuius nullus, vel fere nullus est actus, qui ultimò tandem non ordinetur ad opus, ut ad finem primarium talis habitus; Cognitiones verò practicas illas censemus, quæ repræsentant modum operis faciendi ab ipso operante, & influunt in opus aliquo modo, vel opus sit ipsius intellectus, vel alterius potentiæ ab intellectu. Nomine habitus secundum quid speculativi intelligimus habitum, cuius actus ex maxima parte, sunt practici, pauci verò habentes pro fine ultimo veritatem, vel cuius actus speculativi habent pro fine ultimo opus.

IV.

Cum triplex sit præcipuè obiectum in unaquaque scientia, & arte, scilicet materiale, formale, & attributionis; Dicimus obiectum materiale Logicæ docentis artificialis esse operationes intellectuales indiffe-

differentes Logicè ad rectitudinem, & pravitatem; obiectum verò formale esse rectitudinem talium operationum; Obiectum denique attributionis esse operationes intellectuales rectas: Unde excludendum putamus ab obiecto attributionis ens rationis, posito, quod, nomine entis rationis intelligatur concretum ex rebus cognitis, & cognitione. Pariter excludimus ab obiecto attributionis intellectum rectè intelligentem; neque ullatenus admittimus pro obiecto materiali res omnes, aut voces. Logica docens non est ad alias scientias perfectè acquirendas simpliciter necessaria, sed tantum moraliter.

DE VNITATE, IDENTITATE, ET DISTINCTIONE.

V.

Unitas in unoquoque genere est indivisio in tali genere. Identitas est mutua affirmabilitas in recto eiusdem de se ipso. Distinctio est mutua negabilitas in recto unius de altero. Non datur distinctio formalis ex natura rei, nec distinctio virtualis intrinseca, seu capacitas sustinendi prædicata contradictoria intrinseca. Repugnat distinctio virtualis quoad prædicata contradictoria extrinseca, nec potest intellectus, aut alia potentia immaterialis, aut materialis facere præcisionem obiectivam. Duo tantum admittimus distinctionem genera, formalem scilicet, seu intentionalem, & realem; quo nomine etiam comprehendimus distinctionem modalem.

DE VNIVERSALI IN COMMUNI.

V I.

UNiverſale, diviſione ſaltem formali, dividitur in Metaphyſicum, & Logicum; Univerſale Metaphyſicum eſt unum aptum eſſe in pluribus; univerſale Logicum eſt unum aptum prædicari de pluribus. Univerſale Metaphyſicum non conſtituitur per ideas Platonicas, neque per Naturam conſtitutam in ſtatu præciſionis independenter ab intellectu, antequam contrahatur ad individuationes; neque per naturam diſtinctam formaliter ex natura rei ab individuationibus, neque per ullam unitatem fictitiam, quæ fingatur eſſe in pluribus individuis, neque per voces univerſales in ſignificando. Sunt igitur univerſale metaphyſicum Naturæ individuales omnes ſimiles, & unificatæ extrinſecè per cognitionem præciſivam præſcindentem ab unitate, & multiplicatæ talium naturarum. Univerſale in actuali prædicatione retinet univerſalitatem.

DE VNIVERSALIBVS IN PARTICULARI.

V I I.

QUinque ſunt prædicabilium ſpecies; Genus ſcilicet, Species, Differentia, Proprium, & Accidens. Genus definitur, quod de pluribus differentibus ſpecie in eo quod quid eſt prædicatur; Species, quæ prædicatur immediatè de pluribus differentibus nume-

ro in eo quod quid eſt, quæ definitione definitur ſpecies infima. Differentia eſt id, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, vel numero in quale quid. Proprium (quo nomine venit proprium quartò modo) definitur, quod accidit omni, ſoli, & ſemper, & dicitur etiam accidens proprium. Accidens verò ſimpliciter, ſeu accidens commune definitur, quod poteſt adeſſe, & abeſſe citra ſubiecti corruptionem.

VIII.

Differentia ſpecifica metaphyſicè accepta eſt differentia, ſeu diſſimilitudo plurium contentorum ſub eodem genere in prædicato eſſentiali: phyſicè vero accepta eſt diſſimilitudo in perfectione eſſentiali; non probatur tamen, quod hæc diſſimilitudo importet neceſſario inæqualitatem in perfectione eſſentiali: non eſt autem conceptus ſufficiens differentiæ ſpecificæ, differentia in prædicato nobiliſſimo, aut notabilis differentia iudicio prudentum. Falſum omnino eſt ea ſolum differre numero, quæ differunt per materiam, ea verò differre ſpecie, quæ differunt per formam. Implicat ſpecies, quæ ex ſuis intrinſecis exigat non habere niſi unicum individuum, ſeu ſpecies immultiplicabilis.

DE PRÆDICAMENTIS.

IX.

Diviſio entis realis in decem prædicamenta eſt apta, & conveniens; ſunt autem huiuſmodi prædicamenta: Subſtantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Paſſio, Quando, Ubi, Situs, Habitus.

Rela-

Relatio realis dividitur in transcendentalem, & prædicamentalem; Relatio transcendentalis est essentialis, & adæquatè identificata cum fundamento. Relatio prædicamentalis est accidentalis, & adæquatè accepta identificatur cum fundamento proximo, termino, & ratione fundandi, vel simul, vel successivè existentibus, iuxtà naturam relationis. Ex his manifestum est relationem prædicamentalem non consistere in modo ullo superaddito fundamento termino, & rationi fundandi, vel simul, vel successivè existentibus, iuxtà naturam relationis; neque in solo ratione fundandi, aut in solo fundamento proximo, nec relationem esse opus intellectus.

EX LIBRIS PERIHERMENIAS.

X.

VEritas alia est transcendentalis, alia formalis; Veritas transcendentalis competit omni enti reali, & est realiter identificata cum quolibet ente reali. Veritas formalis est conformitas actus affirmantis, aut negantis cum obiecto affirmato, aut negato. Huic opposita est falsitas, quæ est difformitas actus affirmantis, aut negantis cum obiecto affirmato, aut negato. Neutra est identificata cum solo actu affirmante, aut negante, sed est identificata partim cum actu, & partim cum obiecto. Propositio semel vera non potest mutari in falsam, nec falsa in veram. Propositio eadem non potest esse simul vera, & falsa. Propositiones de futuris contingentibus liberis absolutis, & conditionatis sunt determinatè veræ, aut determinatè falsæ formaliter independenter a decreto Dei

per

per determinationem futurorum in se ipsis pro tempore importo per copulam propositionum. Veritas non suscipit magis, & minus; Suscipit tamen falsitas.

EX LIBRIS PRIORVM, ET POSTERIORUM.

X I.

SYllogismus est oratio, in qua quibusdam positis, aliud quid a positis necessè est contingere eò quod hæc sint. Conclusio reflectit supra præmissas obiectivas, non verò supra præmissas formales saltem necessariò. Probabilius non prærequiritur ad assensum conclusionis iudicium de bonitate illationis, & consequentiæ. Posito assensu præmissarum Syllogismi demonstrativi intellectus necessitatur ad assensum conclusionis, non solum necessitate contrarietatis, & specificationis, sed etiam necessitate contradictionis, & exercitij: Est compossibilis in eodem intellectu, & pro eodem tempore actus scientificus, & opinativus de eodem obiecto.

LAUS DEO.

Dispu-



Disputabuntur publicè Florentiæ in Templo Societatis Iesu S. Ioannis Evangelistæ

Anno* 1706. *Mense

Die Hora



ML

DE VNIVERSALI IN COMMUNI.

V I.

UNiverſale, diviſione ſaltem formali, dividitur in Metaphyſicum, & Logicum; Univerſale Metaphyſicum eſt unum aptum eſſe in pluribus; univerſale Logicum eſt unum aptum prædicari de pluribus. Univerſale Metaphyſicum non conſtituitur per ideas Platonicas, neque per Naturam conſtitutam in ſtatu præciſionis independenter ab intellectu antequam contrahatur ad individuationes; neque per naturam diſtinctam formaliter ex natura rei ab individuationibus, neque per ullam unitatem fictitiam, quæ fingatur eſſe in pluribus individuis, neque per voces univerſales in ſignificando. Sunt igitur univerſale metaphyſicum Naturæ individuales omnes ſimiles, & unificatæ extrinſecè per cognitionem præciſivam præſcindentem ab unitate, & multiplicitate talium naturarum. Univerſale in actuali prædicatione retinet univerſalitatem.

DE VNIVERSALIBVS IN PARTICULARI.

V I I.

QUinque ſunt prædicabilium ſpecies; Genus ſcilicet, Species, Differentia, Proprium, & Accidens. Genus definitur, quod de pluribus differentibus ſpecie in eo quod quid eſt prædicatur; Species, quæ prædicatur immediatè de pluribus differentibus nume-

ro in eo quod quid est, qua definitione definitur species infima. Differentia est id, quod prædicatur de pluribus differentibus specie, vel numero in quale quid. Proprium (quo nomine venit proprium quartò modo) definitur, quod accidit omni, soli, & semper, & dicitur, etiam accidens proprium. Accidens verò simpliciter, seu accidens commune, definitur, quod potest adesse, & abesse citra subiecti corruptionem.

VIII.

Differentia specifica metaphysicè accepta est differentia, seu dissimilitudo plurium contentorum sub eodem genere in prædicato essentiali; physicè verò accepta est dissimilitudo in perfectione essentiali; non probatur tamen, quod hæc dissimilitudo importet necessario inæqualitatem in perfectione essentiali: non est autem conceptus sufficiens differentiæ specificæ, differentia in prædicato nobilissimo, aut notabilis differentia indicio prudentum. Falsum omnino est ea solum differre numero, quæ differunt per materiam, ea verò differre specie, quæ differunt per formam. Implicat species, quæ ex suis intrinsecis exigat non habere nisi unicum individuum, seu species immultiplicabilis.

DE PRÆDICAMENTIS.

IX.

Divisio entis realis in decem prædicamenta est apta, & conveniens, sunt autem huiusmodi prædicamenta: Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Quando, Ubi, Situs, Habitus.

Relatio realis dividitur in tranſcendentalem, & prædicamentalem; Relatio tranſcendentalis eſt eſſentialis, & adæquatè identificata cum fundamento. Relatio prædicamentalis eſt accidentalis, & adæquatè accepta identificatur cum fundamento proximo, termino, & ratione fundandi, vel ſimul, vel ſucceſſivè exiſtentibus, iuxta naturam relationis. Ex his manifeſtum eſt relationem prædicamentalem non conſiſtere in modo ullo ſuperaddito fundamento termino, & rationi fundandi, vel ſimul, vel ſucceſſivè exiſtentibus, iuxta naturam relationis; neque in ſola ratione fundandi, aut in ſolo fundamento proximo; nec relationem eſſe opus intellectus.

EX LIBRIS PERIHERMENIAS.

X.

VEritas alia eſt tranſcendentalis, alia formalis; Veritas tranſcendentalis competit omni enti reali, & eſt realiter identificata cum quolibet ente reali. Veritas formalis eſt conformitas actus affirmantis aut negantis cum obiecto affirmato, aut negato. Huic oppoſita eſt falſitas, quæ eſt difformitas actus affirmantis, aut negantis cum obiecto affirmato, aut negato. Neutra eſt identificata cum ſolo actu affirmante, aut negante, ſed eſt identificata partim cum actu, & partim cum obiecto. Propoſitio ſemel vera non poteſt mutari in falſam, nec falſa in veram. Propoſitio eadem non poteſt eſſe ſimul vera, & falſa. Propoſitiones de futuris contingentibus liberis abſolutis, & conditionatis ſunt determinatè veræ, aut determinatè falſæ formaliter independenter a decreto Dei

per determinationem futurorum in se ipsis pro tempore importo per copulam propositionum. Veritas non suscipit magis, & minus; Suscipit tamen falsitas.

EX LIBRIS PRIORVM, ET POSTERIORUM.

X I.

SYllogismus est oratio, in qua quibusdam positis, aliud quid a positis necessè est contingere eò quod hæc sint. Conclusio reflectit supra præmissas obiectivas, non verò supra præmissas formales saltem necessariò. Probabilius non prærequiritur ad assensum conclusionis iudicium de bonitate illationis, & consequentiæ. Posito assensu præmissarum Syllogismi demonstrativi intellectus necessitatur ad assensum conclusionis, non solum necessitate contrarietatis, & specificationis, sed etiam necessitate contradictionis, & exercitij: Est compossibilis in eodem intellectu, & pro eodem tempore actus scientificus, & opinativus de eodem obiecto.

LAUS DEO.



Disputabuntur publicè Florentiæ in Templo Societatis Iesu S. Ioannis Evangelistæ

Anno 1706. *Mense*

Die *Hora*



ML